



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Concio Secunda. Textus: Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.
Thema: Castis se communicat S. Spiritus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

CONCIO SECUNDA.

Textus. *Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.*
Joan. 10.

Thema. Castis se communicat S. Spiritus.

Exordium. **D**E columbis tradit Columella lib. 2. cap. 8. mundicium in locis inhabitare: Verba Columellæ sic sunt: *Totus autem locus, & ipsa columbarum sella pedibus habent, albo tectorio, quoniam eo colore præcipue delectatur hoc genus avium.* Et paulò inferius: *Quanto autem subinde converri & emundari debet, nam quanto cultior, tanto letior avis conspicitur.* Unde Academicus columbam pingit versus dealbatam turrim volantem: cum inscribitur: *Ad Candida properat: S. Spiritus columbæ specie generatim hoc lemmate representatur, quippè qui in candidum, mundicium castum hominis cor avidissimè illabitur; inscriptio sit: Candida properat corda.* Scripturæ textibus stabilio: *Qui mundiciam cordis mundiciam, habebit amicum Regem.* Proverb. cap. 22. *Matth. 5. ait Christus: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et cap. 22. *Qui neque nubunt, neque nubent erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Patres audiamus: *Mundiciam Domino mundissima debetur habitatio, inquit S. Augustinus lib. medit. c. 35. Nihilò Deus, Sponsus cælestis, S. Spiritus mundiciam delectatur cordis mundicie, scribit Soto Major in cap. 2. Cantabrigie. Anima quanto mundior corde est, tanto capacior Christi gratiam docet. S. Paulinus Epistola 35. Similitè line exponit Theophrastus in cap. 5. Matth. Sicut speculum si fuerit mundum, vultus eius*

imagines, illa anima pura faciem Dei. Hinc S. Leo S. Spiritum s. Leo. intitulat Serm. 1. de Pentec. *Signaculum Castitatis.* Perpulchra sunt verba Tertulliani de cultu foemin. cap. 1. *Cum omnes finus Tertullianus, templum Dei, illato in nos & consecrato Spiritu Sancto, ejus templi aditus & antistes est, pudicitia.* Unde S. Agatha ad S. Luciam s. Agatha. inquit: *Fucundum Deo in tua virginitate habitaculum praeparasti.* Et S. Lucia affirmat: *Castè viventes, templum sunt Spiritus Sancti. Gloriosum & insignem inter ceteras virtutes, castitas & mundicia locum tenet, quia ipsa sola est, qua mundas mentes hominum, praestat videre DEUM,* praedicat S. Augustinus in 25. post Trinitatem. Finio cum S. Isidoro lib. 2. Syn. cap. 1. s. *Isidorus, Continentia hominem Deo proximum facit, & ubi ista manet, Deus manet.* S. Spiritus gratia Conceptus dabo.

CONCEPTUS I.

In forma ignis se super Apostolos praesentavit S. Spiritus ac instar venti, super eos venit, ut patet Actorum cap. 2. *Factus est repente de caelo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes: & apparuerunt illis dispersa lingua tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Cur in forma ignis, & instar venti S. Spiritus super Apostolos venerit, dicam causalem: Ignis & ventus mundiciam & puritatem anhelant: sic ignis purificat aurum; ventus aërem purum, mundumque reddit. Venit ergo S. Spiritus in forma ignis & venti ad indicandum: puritatem & mundiciam se desiderare, in puris ac castis mentibus residere, ac mansionem facere. Ludovicus Sotomajor hujus Conceptus in cap. 2. Actorum inventor est: *Nihilo enim Deus Sponsus caelestis magis delectatur, quam cordis mundicie.*

CONCEPTUS II.

S. Spiritum non immerito unioni seu gemmae preciosae comparavero: Unioni; quoniam unus est cum Patre & Filio; Unioni;
 Pars II. (D) quia

quia S. Spiritus unit corda nostra in charitate cum Deo & primo. Unioni, seu gemmæ Academicæ subternit aurum purissimum, cum Lemmate: *Purissimum sit hujus habitaculum.* Tendunt quoque Naturalistæ gemmæ qualitatem probari plumbi genuina quæ est, plumbi nigredine non maculatur, sed candore illaeso albedinem servat, Academicus adnectit subscriptionem: *Non inficitur:* Unio seu gemma preciosa ergo est Spiritus S. cuius mens, & cor fuerit, purum ac mundum, ab omni seculo immundicie, aptum sit ejus habitaculum; albedinem diligens, castos eligit in domicilium: ita concludit Sapientissimus lib. Sapientia cap. 1. *Spiritus enim Sanctus disciplina effugiet istum, & auferret se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*

CONCEPTUS III.

S. Spiritus Sapientia est, ac lumen cordium: dicit nomen Solomon de hac Sapientia Prov. c. 9. *Sapientia edificavit sibi domum;* quæ est illa domus, ac dignum habitaculum S. Spiritus. Sunt, qui S. Ecclesiam hanc domum dicant, S. Bonaventura Speculo cap. 6 Domum & habitaculum S. Spiritus, B. V. Maria esse adstruxit: *S. Spiritus Mariam per Domum convenienter signavit, quia sibi Sapientia increata, cum 7. columnis, seu donorum Spiritus Sancti excellentissime edificavit.* Veritas citati Patris. Lubens has opiniones suscipio: concedo, Ecclesiam per domum Spiritus Sancti posse intelligi, concedo & B. V. Mariam domum esse S. Spiritus, ast, quid de Virgine Maria dicat lectus in Cant. c. 4. audiamus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Divini oraculo Maria Virgo castissima pronuntiatur, Lucae cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam Joseph: & nomen Virginis Maria.* Ipsa etiam conceptio de falsa est: *Virum non cognosco.* Ecclesiam domum S. Spiritus S. Paulus ad Ephes. c. 5. deprædicat: *Non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata.* Domus, & habitaculum S. Spiritus est uterus B. V. Mariae, sed immaculatus, castissimus. Domus & palatium S. Spiritus est S. Mater Ecclesia, sed sine ruga, sine macula, unde dicitur

casta, ac pura, solum inhabitare Spiritum Sanctum, castæ, ac puræ, virginæque mentes, ac corda, accepta sunt S. Spiritûs habitacula.

CONCEPTUS IV.

Ab exordio mundi, jam *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, Genes. cap. 1. Aderat lucidissimus sol, luna & stellæ, cur his non innitur? cur aquas præ Sole eligit, ac diligit? penes observare libeat, quid S. Marcus cap. 1. de Servatore nostro scribat: *Vidit caelos apertos, & Spiritum Sanctum tanquam columbam descendantem, & manentem in ipso, & vox facta est de caelis, tu es Filius meus dilectus, in te complacui.* Quid quæso movit Spiritum Sanctum, quod super Christum descenderit, & in Christo mansionem acceperit? motivum ex textu antecedente desumo: *Baptizatus est à Joanne in Jordane.* Baptizare: idem sonat, ac mundare, abluere, purificare. Christus baptizatus à Joanne in Jordane, hominem castum, mundum, purum designat, vix baptizatus est à Joanne Christus; & vidit caelos apertos, & Spiritum Sanctum tanquam columbam descendantem & manentem in ipso: discamus: castos, mundos, inhabitat S. Spiritus; casti, mundi sunt S. Spiritûs permanens, ac stabile domicilium. Hinc ab exordio mundi aquis incubuit: S. Spiritus, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, super aquas, quarum natura est limpitudo, albedo, ac claritas, quarum qualitas est mundare, purificare. Iterum argumentum: castis, puris, & albis virginitate, claris ac candidis castitate, innitur S. Spiritus.

CONCEPTUS V.

Columbam Noëticam S. Spiritûs symbolum esse extra dubium est, hinc & in columbæ forma apparuit sapius. De columba Noëtica nunc legitur Genes. cap. 8. eam nonnisi in loco ab omni spurcitia mundo, ac puro, in Arca inquam, ad quam aquæ diluvii non pertingebant, resedisse: ita S. textus: *Cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversus est ad eum in Arcam.*

(D) 2

Doctrina

Doctrina sit: S. Spiritum non nisi castas inhabitare mentes, castis
cordibus insidere, repeto symbolum initio thematis citatum. *Castitas
candida properat: nervosè in hunc finem S. Augustinus lib. de
ditar. cap. 35. Mundissimo Domino mundissima debetur habitatio.*
Noverat hoc devotissimus David.

CONCEPTUS VI.

Precatur zelosissimus Psalter Pf. 18. *Quis dabit mihi pennas
sicut columba?* Et Psalmo 50. suspirat: *Cor mundum creas tu Deus:*
faxit Deus, detur Davidi cor mundum, mentis castitas, puritas;
dentur David pennæ columbæ, quid inde emolumentum hauriet?
indubiè inhabitatorem cordis, & viscerum suorum S. Spiritum
futurum sibi compromittit: *Spiritum rectum innotuit in
visceribus meis.* Appositè hic Sanctus Bernardus Serm. 4. de
hoc Festo: *Scias vas tuum possidere in sanctificatione, & non
in passione desiderii, S. Spiritum accepisti.* Qui dabit mihi
pennas sicut columbæ, & requiescam; columbæ alas, meditationes
sanctas, puras, mundas, cœlestia, meditates si habuerit, de incola
cordis S. Spiritu quasi certus sit: requiescat in Deo, Deum videbit,
divinis gratiis perfruetur. Sic subscribet Evangelista Matthæo cap. 5.
Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Epilogus.

Hortor ergò cum S. Augustino Serm. 185. *Anniversarium huius
diem celebramus de adventu Spiritus Sancti, sed nos ita agamus
ut quotidie eum ad nos castis operibus, & castis pectoribus
invitemus. Amen.*

